



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

§. 31. Quid Parocho agendum Pestis tempore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

libro quarto suæ historiæ tam admiranda & plena zelo animarum de sanctissimo illo Antistite commemorat, ut ea legere vel audire solum, acutissimum sane calcar sit, ad Parochos, peste grassante, ritè excitandos atque in officio suo continendos.

Plane ergo sibi persuasum pastores habeant, si ullo unquam tempore, illo maxime pastoris officium sibi incumbere, ut animam suam ponant pro ovibus suis: memores se, fugiendo eas, deferere non posse, nisi mercenarii esse, & peccatum mortale committere velint.

Ecquis autem obsecro, ea ipsa occasione metu mortis aufugiat, aut mortis periculum formidet? cum in singulari Dei cæli protectione Curatos commorari, dubium non sit; & si tandem eorum quemquam mori (quod semel necesse est) contingat, Martyrem fieri constet Ecclesiæ suffragio. Certe sanctos illos Presbyteros, Diaconos, aliosque plurimos Christianos, qui sub Valeriano Imperatore Alexandria peste horrendissima sæviente, morbo laborantibus ministrando mortem libentissime oppetierunt, S. Dionysius ibidem Episcopus, nec non & Romana Ecclesia pridie Kalend. Martii quotannis Martyrum triumpho concelebrat; Et in præfata Mediolanensis pestis clade, qua decem & septem milia hominum obiisse scribuntur, in tanto Parochorum & Sacerdotum numero, tres tantum ex iis, qui officium erga ægrotos non deseruerunt, defuncti sunt: Sed eorum nemo prorsus morbum ex sacris officiis, quæ infirmis tribuebat contraxit. Felices igitur qui ejusmodi periculosis temporibus, præter communem hominum sortem, vel peculiari Angelorum præsidio custodiuntur, vel si tandem eis mori accidat, abque Tyranni crudelitate, sine equuleis, sine ignibus, sine bestiis, omnique alia cruciatuum asperitate, martyrii palmam suavissima quasi morte consequi possunt.

## §. 31.

*Quid Parocho agendum Pests tempore.*

Suspicionem pestis existente, vel ea locum Setiam aliquem invadente, Parochus, 1. Populos suos pro concione fortiter animet, omnem ab eorum animis timorem propellendo. 2. Totis conetur viribus ut omnes ad confessionem & sacræ Eucharistiæ sumptionem inducat. 3. ad placandum iram Dei, & avertendum flagellum præsentis necessitatis, aliquas distinctis diebus processiones: Item orationem quadraginta horarum: Conventus in Ecclesiam quotidianos (dummodo locum pestilentia nondum invaserit, alias enim Processiones & conventus isti perniciosi essent, & cavendi) nec non & alia pietatis exercitia,

pro occasione & captu populi instituat. 4. Jejunia certis quibusdam diebus indicat. 5. Eleemosynas, & alia tam spiritualia, quam corporalia misericordie operæ indigentibus exhiberi, ac fieri curet.

Quosvis de rebus suis & testamento disponere, ac miserorum recordari moneat. 7. Progrediente morbi calamitate, Vota S. Sebastiano per populum fieri, urgeat: Voto se etiam ad festa Ecclesiæ rite servanda, ad choreas, seu alias loci consuetas levitates abrogandas, & ad familia adstringere possit. 8. A peccatis eisdem serèd & continuè revocet: ad virtutes & usum sacramentorum impellat. 9. Nihil intermittat quod ad populi salutem, conscientiarum securitatem, reconciliandum Deum, præsentemque necessitatem sublevandam expedire, ei videbitur.

Sacramenta Ecclesiæ pie petentibus administrare, sed absque ambagibus, quam potest brevissimè, non formidet: imo baptismum, poenitentiam, Eucharistiam denegare haud potest cuiquam legitime non impedito; extremam verò unctionem, (cujus administratio cæteris periculiosior est) si conferre alicui lubens voluerit; non enim tenetur; in ea, præter sacras unctiones, reliqua omnia poterit omittere.

## §. 32.

*Præservativa adversus pestem.*

IN quibusvis autem sacris functionibus, sacramentorum collationibus, sive aliis actionibus suis, pestis tempore Parochus sequentia puncta observet quàm diligentissimè. 1. Ab omni hominum, ac præsertim ægrotorum, rerumque ad eos pertinentium contactu sedulo abstineat, iis solum tactibus exceptis, quos ex officio sacrarum administrationum adhibere debet. 2. In vestibus idem plane attendat, ne suæ aliorum vestes quomodolibet attingant. 3. In audiendis confessionibus, aliisque ægrotorum colloquutionibus, quantum fieri potest, inter se & ipsum ægrotum, ignem seu prunas, superpositis granis, vel ligno juniperi, aut alia re odorifera, intermediis poni faciat, ut ea quæ in aère est tabes absumatur. Si ignis haberi nequit, saltè aliquo ab invicem intervallo colloquentes distent: confessionesque sic, sed clauso ostio excipiantur. 4. Vbiq; caveat ne contra ægroti anhelitum vultu suo ex adverso consistat, sed eum semper cautè declinet. 5. Post singula sacra ministeria digitos aceto, vel cerei accensi flamma perpurget. 6. In exequiis Defunctorum ipsum funus, si quod comitari opus fuerit, longiori intervallo præcedat. 7. Semper aliquod aromatis genus fortem odorem spirantis in ore teneat. 8. Spongiam aceto imbutam, ac pilæ lignæ per-